



CAPUT III.

De conflictu cum plano immobili.

§. I. DEFINITIO I.

Planum seu superficies plana dicitur, ex ^{Planum,} cuius quolibet puncto ad quodlibet aliud ejus punctum recta duci potest in eadem superficie, ita scilicet ut singula rectarum hujusmodi puncta in ipsa superficie sint sita. P. STEINMEYER S. J. in epit. elem. geom. n. 38.

SCHOLION. Equidem non datur in natura planum, cui descriptio ista in rigore conveniat, cum nulla detur sine scabritie superficies; quia tamen dantur plana ejusmodi, in quibus, si ducantur lineae, omnia earum puncta in eadem ad sensum recta jaceant, memorata plani mathematici descriptio etiam plano physico applicari potest.

§. II.

DEFINITIO II. Mobile in planum ad ^{Collisio} *perpendicularum* incidit, cum anguli, quos ^{perpendicu-} *directio mobilis cum plano efficit, utrinque* ^{laris & obli-} *recti sunt, adeoque 90° , oblique, si alter* ^{qua.} *horum angulorum acutus seu recto minor, alter obtusus, h. e. recto major est, aut si directio mobilis cum plano angulos utrinque obliquos facit.*

G 5

§. III.